

ALEXANDRO GAVRILOV  
SEPTUAGENARIO

Nec mole tantum pyramidum neque  
campo carinis fortiter eruto  
Memphiticas insignis oras  
omne sequetur honos in aevum:

infanda doctum sustulerit licet  
sacrarium sors, Aonias tamen  
chartis adaugendis alumnas  
non minor est coluisse fama.

te litterarum Petropoli duce  
molita sedes e nihilo viget  
gratosque in aeternum Camenis  
imbuet ingenuis nepotes.

commune virtus acrior ad bonum  
spretis ruinis erigitur polo:  
cui tale submissum Colosso,  
quae monumenta perenniora?

at contigit nos alea posteris,  
quocumque vivent orbe, beatior,  
qui nec magistro nec sodali  
nec, bone, te careamus umquam

subdente largas ad studium faces  
antiquitatis – nec vehementius,  
cum surgit Orion, protervis  
arida frons agitur auris,

nec sol pruinas imperiosius  
pigram resolvi post hiemem iubet –  
seu nos cathedra sive laetis  
dulce tenes epulis loquendo.

nunc unctiores Attalicis dapes  
nobis parandae sertaque florida:  
bis terna nemo bis quaternis  
lustra tibi celebrabit aucta

cultore duri sanior Ismari.  
quin et carentes interitu patet  
divos, Alexander, tenacem  
corde tui refovere curam.

non est, ut absint hinc sapientiae  
cultrix avitae Pallas et Euhius  
Euan honoratus cothurno  
Cecropio levibusque soccis

Phoebusque eburna conspicuus lyra,  
quem saepe terris excipit algidis  
nautis et oclusus pedestri  
coetus Hyperboreorum ituro.

*D. K.*